UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XVIII. perducitur vsque ad Annum D.XC. nempe ab Anno primo Iustini Senioris, vsque ad quintum Mauritij Augusti. Complectitur annos LXXIII.

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Iesv Christi Annus 539. Silverii Pap. Annus 3. Ivstiniani Imp. 13. Vitigis Reg. 3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14926

Visual Library

Cappadocia Epiſcopum hoc ſcandalum in Eccleſiam fuiſſe ingreſſum. Quod etiam publicè ipſe Theodorus clamitauit, ſe & Pelagium viuos incendendos, per quos hoc ſcandalum introiuit in mundum. hactenus Liberatus finem imponens Breuiario ſuo de cauſa Neſtoriana & Eutychiana collecto (vt ait) ex Eccleſiaſtica hiſtoria è Græco in Latinum tranſlata, & ex Geſtis Synodalibus atque etiam epiſtolis ſanctorum Patrum: quæ quidem paulo poſt ab ipſo ſcripta fuiſſe, ex vltima rerum geſtarum narratione poſſumus intelligere. verum ipſum conſtat ex eorum claſſe fuiſſe, qui pro Tribus capitulis pugnantes, pro Theodoro Mopſueſteno, licet non pro erroribus ei aſcriptis etiam ſcripſere defenſionem: quod non obſcure ſuis ipſe ſcriptis ſignificat *a*. Cæterum quinam fuerit iſtiuſmodi de fide liber à Iuſtiniano Imperatore editus, inferius ſuo loco dicturi ſumus.

a Liber. Breuiar. cap. 23. & 24.

XXCIIX. Quod autem ad œconomiam Eccleſiaſticam pertinet, idem Imperator alias edidit ſanctiones, atque in his totus eſſe viſus eſt, perinde atque ab omni belli cura remotus, cum tamen & Roma obſideretur à Gothis, & Africa, rebellantibus Arianis, in magno diſcrimine verſaretur, vt paulo poſt dicturi ſumus. Inter alia vero Kal. Maii hoc anno ſanctionem promulgauit, ne quis *b* præter voluntatem Epiſcopi domos oratorias fabricaret, inſuper de Epiſcopis, qui in ſuis Eccleſiis minime reſiderent, ac de alienatione rerum Eccleſiæ immobilium: aliam rurſum *c* de clericis ſubrogatis, & emolumentis eiſdem præſtandis, nec non de iure præſentandi, quod iis competat, qui in ædificandis eccleſiis ius ſibi patronatus retinere voluerunt: itemque aliam ſanctionem *d* de bonis eorum, qui ingrediuntur monaſterium. has tu maiori otio conſulas.

b Nouel. 67. & Auth. col. 5. tit. 17.
c Nouel. 57. & Auth. col. 5. tit. 16.
d Nouel. 76.

XXCIX. Hoc eodem pariter anno duodecimo Imperatoris, cum (vt dictum eſt) *belli Gothici tertius adhuc annus ageretur* (inquit Procopius *e*) *ex Mediolano vir ſacer quidam Datius nomine* (Epiſcopus hic erat Mediolanæ Eccleſiæ) *ciuiſque primores nonnulli cum Romam veniſſent, à Beliſario ſuppliciter petiere, modicum ad ſe vt præſidium mitteret, quo ſatis ſe poſſe aſſeueratum non modo Mediolanum, ſed Liguriam omnem abductam à Gothis Imperatori recuperare.* qui hac functus eſt legatione Datius, vitæ ſanctitate inſignis eſt habitus, de quo plura dicturi ſumus. Hic ergo vt vendicaret à Gothis iiſdemque Arianis populos ſpirituali regimine ſibi ſubditos, omnem adhibuit diligentiam, quo exemplo ſatis intelligas, non mereri calumniam, neque inuidiam Epiſcopos illos pati debere, qui ne ſub hæretico Principe degant, omnem lapidem voluunt. Quomodo autem Beliſarius eadem Mediolanenſi ciuitate, totaque Liguria potitus ſit, idem Procopius narrat *f*.

e Procop. de bello Goth. lib. 2.
DACIVS EPISCOP. MEDIOL. CONTRA GOTHOS IMPLORAT AVXILIVM.
f Procop. de bello Goth. lib. 2.

IESV CHRISTI
Annus 539.

SILVERII PAP. Annus 3. IVSTINIANI IMP. 13. VITIGIS REG. 3.

I. ANnus Domini quingenteſimus vndequadrageſimus Apione * Ægyptio Conſule abſque collega notatur: ita Apio ab Api denominatus Ægyptius: licet in Nouellis Imperatoris, pro Apione, Ario ponatur. Nouellæ *g* enim complures, quæ ſub Conſulatu Arionis datæ reperiuntur, ſub Apione Conſule ſcriptæ noſcuntur. Numeratur idem annus belli Gothici in Italia quartus. Cum Siluerius Papa tertio exacto Sedis ſuæ anno exigeretur (vt dictum eſt *h*) aduerſariorũ calumniis & in Palmaria inſula relegatus detentus, conuentu habito quatuor, qui eum conuenerant, Epiſcoporum, aduerſus Vigilium Romanæ Eccleſiæ cathedræ inuaſorem anathematis ſententiam tulit, hiſque verbis conſcriptam ad ipſum miſit *i*:

** alias Appio.*
g Nouel. 78. vſq. ad 91.
h Liberat. diacõ Breuia. c. 22.
i Extat inter Acta Silverij tom. 2. Concil. & tom. 1. epiſt. Rom. Pont.
II. SILVERIVS RELEGA-

Silverius Epiſcopus Vigilio.

Multis te tranſgreſſionibus irretitum, ſacerdotalis iam dudum noua genera itas. Et quia cruentis humano ſanguine manibus deceſſoribus noſtris peruicacia tua ſubripiens, Leuiticæ præſumpſeris excubare miniſterijs, plerique nouerunt Fidelium. Nam quia contra iura canonica, temporibus ſanctæ memoriæ Bonifacij Papæ, ipſo viuente, ſucceſſor eius deſignari conabaris, niſi tibi amplißimi Senatus obuiaſſet iuſtitia: tunc prouidentia paſtorali ac Pontificali auctoritate, tua execranda iam debuerant auſpicia detruncari. Sed dum paruum vulnus in te neglectum eſt, inſanabile accreuit apoſtema: quod niſi ferro altius abſcindatur, fomentorum ſentire non poteſt medicinam. Quippe qui nequiſſimi ſpiritus audaciæ, ambitionis phreneſim concipiens, in illius Apoſtolici medici, cui animas ligandi ſoluendique, collata & conceſſa poteſtas eſt, verſaris contumeliam, nonnunque ſcelus erroris in Apoſtolica Sede rurſus niteris inducere; & in morem Simonis, cuius diſcipulum te oſtendis operibus, data pecunia, me quoque repulſo, qui ſapiente Domino, tribus iam iugiter emenſis temporibus ei præſideo, tempora mea niteris inuadere. per tria hæc emenſa tempora tres annos, diuinæ Scripturæ more, ſedis iam elapſos Silverius notat, qui ſubdit:

TVRBAM NATVRALIVM INTRVSVM.

III. *Habeto ergo cum his, qui tibi conſentiunt, pœnæ damnationis ſententiam: ſublatumque tibi nomen & munus miniſterij ſacerdotalis agnoſce, ſancti Spiritus iudicio & Apoſtolica à nobis auctoritate damnatus. Sic enim decet fidem ſanctorum Patrum in Eccleſia ſeruari Catholica; vt quod habuit, amittat, qui improbabili temeritate, quod non accepit, aſſumpſerit. Data octauo Kalendas Iulij* quod ſequitur, *Principe Baſilio*, ſiue (vt alia lectio habet) *Beliſario Patricio* adiectum putatur, cum temporibus his Silverii nullus conueniat Beliſarii Conſulatus, neque Baſilii: quorum alterius, nempe Beliſarii contigit ante annos duos; alterius itidem, Baſilii ſcilicet, poſt annum ſequentem. Subiicitur autem huic ſententiæ eiuſdem Papæ ſubſcriptio & aliorum, qui interfuerunt, Epiſcoporum: *Cælius Silverius Papa* ** *Romæ huic decreto anathematis in Vigilio peruaſore facto, ad omnia ſtatuta conſenſum præbens, ſubſcripſi. Pariter & quatuor Epiſcopi ſubſcripſerunt, id eſt, Terracinenſis, Fundanus, Formianus, & Minturnenſis. Data eſt chartula per Anaſtaſium ſubdiaconum.* hactenus ibi.

PRIVATVR VIGILIVS ABREPTO PONTIFICATV.

Sic igitur beatiſſimus Pontifex vna cum Apoſtolo Paulo vinctus in Domino, æque cum Paulo illud Apoſtolicum concinit *: *Laboro vſque ad vincula, quaſi male operans: ſed verbum Dei non eſt alligatum.* Ita quidem, cum licet deportatus in inſulam, incluſus carceri, vallatus cuſtodia, atque conſumptus inedia, nihil tamen remittit ſacerdotalis roboris atque conſtantiæ, vel Pontificiæ poteſtatis; potenſque gladio Spiritus, quod eſt verbum Dei, ſciens cunctos ſibi populos habere ſubiectos, quos ſuo arbitrio vel abſoluat, aut æternis vinculis obliget, auctoritate, qua pollet, aduerſus Romanæ Eccleſiæ inuaſorẽ, ſpiritumque intruſum Pontificem valide telũ damnationis intorquet; & vniuerſo oſtendit Orbi, illum, qui faſtigium Apoſtolici throni tui ſurus aſcendit, ſeque pro Pontifice gerit, non referre Simonem Petrum, ſed magum, neque Vicarium eſſe Chriſti, ſed Antichriſtum. Eminet, licet conculcata preſſuris, in inſula Apoſtolica Sedes: illuſtratur Antiſtitis præſentia pluſquam Roma, Palmaria: non anguſtiatur exiguæ inſulæ termino, nec clauditur circumdantis maris Eccleſia fluctibus, quæ magis dilatatur aduerſis & creſcit anguſtiis. Fœcunda antiquorum martyrum palmis ipſa Palmaria, nouo germine, tanti Pontificis martyrii palma mirifice decoratur; eoque magis, quod pacis tempore, cum nullus Chriſtianæ fidei hoſtis Gentilis tyrannus inſurgit, ſola ipſa eiuſmodi triumphali fronde vireſcit.

k 2. Tim. 2.
IN VINCVLIS NITET PONTIFICIA POTESTAS.

V. Interea vero congemuit vniuerſus Catholicus orbis ad vniuerſalis Eccleſiæ Præſulis ignominias, communicans ipſius vinculis (vt licuit) ſcriptis epiſtolis, quarum vnicum, quod ſupereſt, hic tibi reddimus monumentum: quas enim vnus inter alios Amator Epiſcopus (quem puto Auguſtudunenſem illum *l*, qui hoc tempore claruit ſanctitate) ad eum literas cum muneribus dedit, vt ea, quam patiatur, ipſum leuaret inopia, hic tibi integras exhibemus; ſic enim ſe habent *m*:

l De eo Rom. Martyrolog. die 16. Nouem.
m Tom. 1. epiſt. Rom. Pont. ante epiſ. Silver.

VI. AMATORIS EPISCOPI EPIST. AD SILVERIVM PAPAM.

Beatiſſimo Silverio Amator Epiſcopus.

A quibuſdam, Pater dilectiſſime, illis à partibus aduentantibus audiuimus, vos à ſede S. Petri iniuſte pulſum, exilio deſtinatum. Quod nimis graue ferentes, miſimus parua munuſcula;

id eſt,

*id eſt, argenti libras triginta, ad veſtram veſtrorumque ſuſtentationem: quæ petimus, vt ita grato animo ſuſcipiatis, ſicut gratæ mittuntur intentione. Precamur quoque, vt per veſtram epiſtolam nobis remandare * non dedignemini, qualiter circa vos ſit, & aliam, vel modo agitur: vt certam rationem de vobis ſcire & fratribus valeam nuntiare. Quid enim putas de nobis fieri, Pater ſumme, cum de ſummo Paſtore & Vicario ſancti Petri talia ſunt? Veſtram tamen nolite multum triſtari, ſed confortamini ſemper in Domino: quoniam potens eſt Diuinitas immenſæ tempeſtatis incerta bono ſerenitatis amouere. Ora pro nobis, beatiſſime Papa.* hactenus Epiſtola ſine die & Conſule. Extat ad eundem Amatorem reddita Silverij nomine epiſtola ab aliquo otioſo ex Anaſtaſij ſcriptis conſarcinata, mendaci Conſulum appoſita nota, à veritate hiſtorica procul abhorrēs, quam ex huius temporis ſcriptore Liberato diacono ſincere prodidimus: vnde ind gnam putantes, quæ ipſius Silverij nomine cenſeatur, relinquimus eam vndique impoſturæ labe ſuſpectam.

VII. Quod vero ad Pontificis defenſionem ſpectat, iniquitas temporis reddidit Silverij vincula duriora. Etenim cum à Gothis Vrbs eſſet obſeſſa, & vniuerſa Italiā moribus Græcorum quæreretur atq; Gothorum; quodq; ſcirent omnes, Beliſarium cum vniuerſis viribus Orientalis exercitus pro aduerſariis cōtra Silveriū militare: factum eſt, vt te legato Pontifici ad eum in ſedem reſtituendum nullas ſuppetias ferre poſſet: non clerus Romanus foris Gothorū obſidione vallatus, & intus cuſtoditus ab exercitu Imperatoris, quicquam ex more præſtare valuit: non reliqui Epiſcopi, quod viderēt fruſtra ſe niti poſſe, tot ingruentibus malis, contra torrentē, expectantes omnes, ſi meliora forte, quod eſſet in optatis, tempora aſpirarēt. Silent leges, cum arma ſtrepunt; nec canonum auditur clamor, vbi reboant e claſſico milites excitantur.

VIII. Sic itaque iniuria temporis factum eſt, vt ab Eccleſia indefenſum ipſius Eccleſiæ viſibile caput opprimi ſineretur, quod alias, vrgente etiā Gentilium perſecutione, accuſationum vinculis abſolutum, congregatum in cryptis Epiſcoporum Concilium ſuo ipſius iudicandum arbitrio iuſſit abire liberum. Ex quibus magis quis deploret iſtiuſmodi infeliciſſimum omnium rerum ſtatū, quo ſub Chriſtianis Principibus fieri contigerunt, quæ ſub Imperatoribus Ethnicis iiſdemque diris perſecutoribus, ne fierent, Occidentalis orbis Epiſcopi ſedulo ſtudio interceſſerunt: dum ſine Epiſcoporum ſententia damnatur abſque ſpe vlla reſtitutionis Epiſcopus Epiſcoporum, & ſubrogatus artibus hæreticorū is ſedet, qui cum iiſdem hæreticis de reſtitutione damnati hæretici conuenisset. Hoc quidem diſcrimine grauius inuenimus nunquam, neque periculum manifeſtius, ſub quo fuerit Romana Eccleſia conſtituta. Sed qui ſuper maria fundauit eam, de excelſo ſolio clamat: *Confidite, ego vici mundum.*

IX. Sed quid poſt hæc Silverio accidit? Mouerunt aduerſariorum inuidiam obſequia illa ipſi ab Epiſcopis diuerſis impenſa: auxit & in eum odium ab ipſo in Vigilium anathema receſs illatum: cuius rei cauſa factū eſt, vt arctiori cuſtodiæ traderetur, ac deniq; (quod Liberatus diaconus teſtatur) conſumi inedia cogeretur: ſed id quidem ſenſim, non ſtatim violenterque: adeo vt in annum ſequentem ærumnoſam vitam produxerit: adhuc enim annum vnum ferme vixiſſe, ex eo cogimur affirmare, quod qui octauo Kal. Iulij (vt dictum eſt) in Vigilium literas anathematis dedit; & tam ex Anaſtaſio, quam ex Romano Martyrologio, duodecimo Kalen. Iulij obiiſſe legimus non hoc vtiq; anno, ſed ſequenti eum eſſe defunctum affirmare neceſſe eſt. dicemus de eo ſuo loco.

X. Sed quantis hæc Deus illata in Summum Pontificem mala immiſſis cœlitus cladibus vindicaret, vix credi poteſt; referreque detrectarem, quod ſuperare videantur humanum captum; ſed cum hæc Procopius referat, qui hoc tempore eandem, quam habebat præ oculis, ſcribebat hiſtoriam, verbis ipſius hic deſcribere minime prætermittam. Sub hoc enim anno decimo tertio Iuſtiniani Imperatoris hæc adeo infelicia contigiſſe narrat in Oriente, vnde malum tantum originem duxit, his verbis *a*:

a Procop. de bello Perſic. lib. 2.

*Ingentes igitur tunc Hunnorum exercitus Iſtrum transmittentes, in omnem Europam inuaſerūt, nec vlla natio tot in hac parte maleficia damnaq; intulit. A ſinu enim Ionico hi barbari omnia vſq; Byzantij ſuburbana populati ſunt, arceſque duas munitiſſimas in Illyrico, ciuitatemque Caſandream vi euerterunt, quam antiqui Potideam vocabant; multaq; gaza ſimul cum centum & viginti millibus hominum captis, domum reuerterunt, nullo penitus eis reſiſtente. Poſteriū autem temporibus ſæpius reuerſi intoleranda Romanis mala intulerunt: nam in Cherſonneſi expugnatione oppidanos deceperunt; ex parte maris (Melanes vocatur) muros aſcendentes de improuiſo eos oppreſſerunt, quorum aliqui partim capti, partim interfecti ſunt. Nonnulli anguſtias maris inter Abidum & Sextū tranſeuntes, in Aſiæ loca excurrentes, Cherſonneſum reuerterunt. Inde demū, rurſus domum cum toto exercitu ſe receperunt. In alia item irruptione Illyricū repetentes, Thermopolim obſidere, oppidanis ſe acriter defendentibus: veſtigabant, quanam via facilius aſcendere poſſent: præter ſpem vnam repererunt, quæ ad montem hic ſupereminentē * ducit. Sic omnes fere Græcos, præter quam Peloponneſiacos infeſtantes, tertio domū remigrarunt.* hæc de Hunnorum incurſionib. Procopius: quibus tradit inferius, annuam eſſe pollicitū Imperatorem pecuniā, ſicut & Saracenis: ita ignominioſe coactus eſt Imperator à barbaris ingruentib. redimere pacem penſitatione tributi, qui haud pridem, cum Dei amicus eſſet, Wandalos Gothoſq; inuictos ſuperaſſet.

CLADES ILLATÆ ORIENTALIBVS.

* ſupereminentē

XI. Et vnde (ſi quis accurate inueſtigabit) tantorum malorum cauſa prouenisse dicenda, niſi ob numen offenſum? Quoddam hoc fuit quodammodo monſtrū, vt qui victor in omnibus Iuſtinianus Imp. vniuerſa Africa potitus fuit, atq; item bello Siciliam, Dalmatiam, Italiamque vna cum Vrbe recepit, idem ex inſperato Hunnos pati coactus ſit infundentes ſe vſque in Conſtantinopolitanæ vrbis mœnia, nec eos quicquam virium habuerit expellendi. Quis non manu tractet, & aperta omnino luce non videat, vocatā à Deo barbaros in demolitionem & damnum Imperij, cum ſancta religio à Principibus ſauciatur? Cum factum eſt in Silverium, quod nec profanus aliquis tentare auſus fuiſſet, paſſum eſt ab Hunnis Romanum Imperium, quod vix quælibet deſtituta ſine Rege prouincia ſubitura fuiſſet.

XII. Sed pauca ſane hæc atque adeo leuia quiſque dixerit, ſi conferat cum his, quæ poſt hæc mala ſunt ſubſecuta, hoc tamen anno fieri cœpta. Et quænam hæc? Audi ex eodem auctore Procopio, dum ait, hoc ipſo anno decimo tertio Iuſtiniani Imperatoris, Coſrhoen Regem Perſarum ſtatuiſſe rumpere fœ ius, quod perpetuum fuerat cum Romanis ſancitum, nec vllis potuiſſe ab inſtituto reuocari literis vel legationibus Imperatoris: quænam vero ingentia mala bellum hoc ſecum vexerit, idem fuſius narrat, noſque ſuis locis ſummatim dicturi ſumus. Vitigem enim Gothorum Regem per legatos ſolicitaſſe Colthoen ad inferendum bellum Iuſtiniano Imperatori, idem Procopius alibi tradit *b*. His quidem malis Orientale Imperium hoc anno exagitatum cōſtat. In Occidente vero poſt fatigatam Italiam diuturno Gothico bello, poſtque longam Vrbis obſidionem, ingenti penuria vniuerſus populus laborauit. Ita plane in vltionem ſcelerum patratorum exacuens gladium iræ ſuæ, *famem vocauit Deus ſuper terram c, & omne firmamentum panis contriuit.* ac ſecundū illud propheticum *d*: *Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduū locuſtæ comedit bruchū, & reſiduū bruchi comedit rubigo.* Equidem quod bellicę deuaſtationi ſuperfuit, penqria deuoranit & peſtis; & ſi quid à penuria & peſte remanſit illæſū, rurſum furor Gothicus deuaſtauit: ita vt non ſoluta obſidio Vrbis, ſed potius eiuſdem dilatum videri potuiſſet excidium, nec Gothorum tantum, ſed Græcorum etiam gladiis tradita Italia deuoranda.

ALIÆ CLADES IMPERII.

b Procop. de bello Goth. lib. 2.

c Pſal. 104.
d Ioel. 1.

XIII. Sed antequam iſta adeo ærumnoſa laboris doloriſque plena narremus (vt cuncta ordine temporum deſcribamus) quæ prius de Vrbis obſidione ab eodem Procopio ſunt dicta, ea ſcilicet, quæ ad inſtitutū pertinent, hic deſcribamus. Quæ igitur menſe Martio anno ſuperiori obſideri cœpta eſt, vltra annum dies nouem eandem obſidionem propagatam fuiſſe Procopius tradit *e*: cuius

QVID TEMPORE OBSESSÆ VRBIS.

e Procop. de bello Goth. lib. 1. & 2.

quoque teſtificatione, Romanorum ſtudium erga Chriſtianæ religionis cultum mirifice commendatur, cum quæ eſſent Gentiliciæ ſuperſtitionis mirum in modum deteſtarentur; quod ex iis, quæ tunc acciderunt, digno exemplo edito demonſtrarunt, cuius rei cauſa fortaſſe accidit, vt non tam cito, veluti ſub Alarico tradita Gothis ipſa Vrbs fuerit, quando (vt ſuo loco ſuperius dictum eſt) vigebat apud plurimos nobilium ſuperſtitio idolorum. Verum licet puriſſimi modo Romani, paucis exceptis, eſſent Chriſtianæ religionis cultores, proculque abhorrerent ab omni cultu deorum: tamen quod reiecto legitimo ſacerdote, illic illud in loco ſancto eſſet exaltatum idolum, ob Græcos tale ſenſit vrbs illa * flagellum: dederunt & pœnas, qui tantæ abominationis fuerunt auctores. Sed quæ de Iani delubro ſcribat Procopius, audiamus.

SVPERSTITIONE GENTILITIA EXPLOSA, VRBS FORTIOR REDDITA.

* ipſa

XIV.

a Procop. de bello Goth. lib. 1.

Per id tempus (inquit) a *Romani quidam Iani fanum aperire, foribus vi occulte illata, tentarunt. His Ianus deorum antiquiſſimus fuit, cuius foro in medio, & ex aduerſo Capitolij ſacellum extat paulo ſupra eum locum, quem nunc Romani Tres Parcas appellant. Id vero Iani ſacellum totum ex ære conſtructum fuiſſe ſat conſtat, & quadrata quadam dimenſione locatum, tantaq; amplitudine, quanta integi Iani ſtatua poterat. quæ vtique & ipſa cum ænea ſit, non minor, quam quinque pedalis eſſe apparet, per cætera omnia mortali ſimilis, capite dumtaxat bifrons, ita vt facies altera in orientem ſolem diuergat, in occidentem altera: portæ vtrinq; & æneæ in faciem alterutram verſæ: quas ferme in pace & proſperis rebus occludi Romani veteres quondam inſtituerunt, contraque aperiri, dum interea bellum his eſſet. Sed Chriſtianæ fidei diſciplinam ſi vſquam alij vnquam, Romani præcipue ſunt venerati. Vnde has Iani portas perinde neglectas, ne bellantes quidem aperuere. In ea tamen obſidione nonnulli, vetuſtæ illius (vt reor) opinionis & cultus memores facti, eas ſi clam ſunt patefacere: haud tamen omnino id exequi potuerunt, niſi catenus, vt fores vim paſſæ non inuicem ſic cohærerent, ac antea arctius cohæſiſſent. Latuere tamen, qui aggreſſi id facinus fuerunt, nulla eius rei, vt in tanta omnium perturbatione, habita quæſtione; quippe cum nondum ad Principes ipſos id delatum fuiſſet,* vtpote qui haud inultum facinus relicturi erant, vbi eius auctores ſolicite perquiſitos adinueniſſent. Si igitur adeo magnum execrandumque æſtimabatur ſacrilegium, vel aperire Iani portas eſſe tentatum: quæ de ſacrificantib. diis, aliosve ſuperſtitioſos deorum cultus tentantibus fuerant pœnæ ſumendæ? Hæc de Vrbis obſidione; quam perduraſſe menſes quatuordecim, dum alij tradunt, certe à Procopio qui fuit præſens, erroris penitus arguuntur, cum ipſam annum vnum & dies nouem perſeueraſſe tantum affirmet. Sed quæ his ſucceſſerunt mala, narremus.

XV.

DIRA FAMES ITALIAM VEXAT ET PESTIS.

b Procop. de bello Goth. lib 2.

Sub hoc eodē anno, qui quartus belli Gothici à Procopio ponitur inchoatus, dira fames vexauit Italiam, de qua idem auctor habet b: *Cum* (inquit) *iam ſe verterat annus, & meſſis tempus adeſſet, in campis frumentū ſua ſponte maturescebat; non tamen qua prius id copia fuit, ſed longe minori, vt quod nec hominum manibus, nec boum labore ſatum humoq; tectum fuiſſet, ſed temere in agri ſuperficiem iactum: vnde eius pars quædam terræ vi foras emerſerat: ipſum id tamen cum demeteret nemo, præ nimia ſui maturitate in terram iterato excidens renaſcebatur. Quæ res cum eumdem in modum in Æmilia accidiſſet, eius regionis homines propriis ſedibus ac bonis relictis, in agrum Picenum profugerant, haudquaquam exiſtimantes eius prouinciæ loca, quia maritima eſſent, eadem omnino rei frumentariæ inopia premi. Tuſcos præterea haud ſecus ac pari de cauſa fames attigerat. Ex his tamen, qui montes incolerant, frumenti in modum è glandibus commolitis confectū panem edebant. Vnde vulgatis veluti in pecua morbis, vt ipſi par erat, multi mortales capiebantur, & paucis ſuperſtitibus interibant. In Picentes autem traduntur non minus quinquaginta millia hominum præ inedia interiiſſe, & longe plures extra Ionicum ſinum. Quæ autem morbi ſpecie, & quemadmodum hi morerentur, mox explicabo.*

XVI.

QVÆ FAMIS TEMPORE TRISTIA ACCIDERINT.

Cum enim nihil in eſſet, quo veſcerentur, extenuati nimirum omnes pallenteſq; reddebantur, caroq; vt cibo diu ſui carens in ſe ipſa retracta cohæſerat: fel item cum nimium abundaret, atque adeo corpora ipſa vi ſua oppreſſa iam infeciſſet, haudquaquam ſi nebat ſuo è priſtino curſu in his venas defluere. Malo itaq; peruincente, nihil prorſus ſucci corporibus relinquebatur. Cutis præterea obdurata corio perſimilis erat, præ ſe maxime ferens, quod impoſita oſſibus inhæſiſſet, liuore iam in nigredinem commutato: vnde & homines exuſtis facibus nihil abſimiles videbantur, eorum que facies ſtupidior erat, terrenſq; & furentis aſpectus. Mortem itaque paſſim obibant, alii partim inopia, nimia partim ſaturitate. Nam poſtquam in his fuerat calor omnis extinctus, quem natura introrſum excuſſerat: ſi quis forte eos ad ſatietatem & nō paulatim cibaſſet (vt recens nati lactari ſolent) cum ingeſtos minus digererent cibos, celerius longe moriebantur. Fuere qui fame cogente, alterni ſe eſitarent: Fœminas enim duas fuiſſe tunc tradunt, quæ viros ſeptemdecim interfectos abſumpſerint. hæ namq; (vt ferunt) cum ſolæ & reſides domi, cæteris mortuis ſuperfuiſſent, diuertentibus ad ſe peregrinis, noctuque dormitantibus interfectis dimeſiebantur: ſeptem itaque & decem diuerſis temporum ſpatiis in cibum abſumptis, octauum ac decimum, qui ad has forte diuerterat, ſomno tunc ſubito experrectum, cum in ſe eadem, quæ & in cæteros fecerant, molirentur, cognita primum facti ab his ratione, vtraſque obtruncat.

ESVS HVMANARVM CARNIVM.

XVII.

Sed eo iam alibi euaſerat famis neceſſitas, vt quicquid vbique herbarum eſſet, celerius nonnulli adirent, & genu in terram nixi, cum auellere has niterentur, deficientibus viribus (nam è corporibus vigor omnis abſceſſerat) porrectas ad herbas ſolo morituri procumberent, inſepultiq; paſſim manerent, cum hos nemo humo contegeret: non enim erat qui ſepulturæ rationem haberet. hactenus de fame Procopius horū inſpector ac deplorator.

Porro Miſcellæ auctor coniungit famem hanc cum ea, quam Vrbs paſſa eſt, dum obſideretur; ſed quā atrox iſta fuerit, teſtificatione S. Dacij Mediolanenſis Epiſcopi ita paucis deſcribit: *Tanta ſiquidem per vniuerſum mundum eo anno, maximeque apud Liguriam fames excreuerat, vt (ſicut vir beatiſſimus Dacius Mediolanenſis Antiſtes retulit) pleræque matres infelicium natorum comederent membra.* hæc ipſe, quæ quidem perperam ponit ſub anno decimoquinto Imperatoris: ſicut & errare conuincitur Cedrenus, qui eamdem ſub anno nono recenſet. nam quantum ex Procopio, qui præſens fuit, inſpicere licet, ad præſentem hæc ſunt annum referenda. Sed non defuit tunc Dei ſeruis annona.

ESVS FILIORVM.

XVIII.

c Greg. dial. lib. 2. c. 21.

S. BENEDICTO DIVINITVS SVPPEDITATA ANNONA.

Tunc enim accidiſſe videtur mirandum illud, quod S. Gregorius de S. Benedicto narrat his verbis c: *Alio quoque tempore in eadem Campaniæ regione fames incubuerat, magnaque omnes alimentorum indigentia coangustabat. Iamque in Benedicti monaſterio triticum deerat: panes vero pene omnes conſumpti fuerant, vt non plus, quam quinque ad refectionis horam fratribus inuenire potuiſſent. Cumque eos venerabilis Pater contriſtatos cerneret, eorum puſillanimitatem ſtuduit modeſta increpatione corrigere, & rurſum promiſſione ſubleuare, dicens: Quare panis inopia veſter animus contriſtatur? Hodie quidem minus eſt, ſed die craſtina abundanter habebitis. Sequenti autem die ducenti farinæ modij ante fores cellæ in ſaccis inuenti ſunt, quos omnipotens Deus, quibus deferentibus tranſmiſiſſet, nunc vſque manet incognitum. Quod cum fratres cernerent, Domino gratias referentes, didicerunt iam de abundantia nec in egeſtate dubitare,* hæc Gregorius.

XIX.

d Procop. de bello Goth. lib. 2.

EXCIDIVM MEDIOLANI.

* fuerit.

Sub eodem quoq; anno quarto belli Gothicis recenſet idem, qui ſupra Procopius cladem ciuitatis Mediolanenſis, quando à Gothis capta & ſolo penitus æquata eſt. Rem geſtam ipſe d pluribus ſcribit, quem tu conſulas. Sed quæ poſt tantæ vrbis excidium enarratum fuſius, breuiter ſtringens epilogo, demum adiicit, accipe: *Mediolanum vero ampliſſimam vrbem ſolo æquatam delent, in eaque virorum trecenta millia ſine vllo ætatis reſpectu trucidant: fœminas vero ſeruitio in morem adductas Burgundionibus dono dedere, vt promeritas his gratias redderent pro inita ſecum belli ſocietate. Reparatum vero qui ad Romanos defectionis cauſa fugerat, * inuentum, comprehenſumque & minutatim conciſum vorandum canibus obiecere. Bergentius tamen eiuſdem non expers noxæ (nam & is Mediolani tunc aderat) fugiens in Venetos abiit; indeque ſequentibus ſuis, in Dalmatiam venit, & ex ea prouincia ad Imperatorem ſe Byzantium contulit.* hæc Procopius; quæ quidem facta ſunt à Mundila Gothorum Duce fœdifrago.

IX. De Dacio autem Epiſcopo Mediolanenſi, quem iam antea legatione apud Beliſarium functum eſſe ex Procopio diximus, quid factum ſit, licet nihil dicat: ipſum tamen fuga lapſum cruentorum manus euaſiſſe Gothorum, S. Gregorius Papa teſtatur, perueniſſeque Conſtantinopolim: ſed quod perſecutores Gothi Ariani eſſent, cauſa fidei exactum ciuitate ipſe putauit, qui & quid in via eidem acciderit, ita narrat: *Eiuſdem quoque Principis tempore, nempe Iuſtiniani, cum Dacius Mediolanenſis vrbis Epiſcopus cauſa fidei exactus, ad Conſtantinopolitanam vrbem pergeret, Corinthum deuenit. Qui dum largam domum ad hoſpitandum quæreret, quæ comitatum illius totum ferre potuiſſet, & vix inueniret, aſpexit eminus domum congruentis magnitudinis, eamque ſibi præparari ad hoſpitandum iuſſit. Cumque eiuſdem loci incolæ dicerent, in ea eum manere non poſſe, quia multis iam annis hanc diabolus inhabitaret, atque ideo vacua remanſiſſet, venerabilis Dacius reſpondit, dicens: Immo ideo hoſpitari in eadem domo debemus, ſi hanc ſpiritus malignus inuaſit, & ab ea hominum habitationem repulit. In ea ſibi igitur parari præcepit, ſecuruſque illam, antiqui hoſtis certamina toleraturus intrauit. Itaque intempeſtæ noctis ſilentio, cum vir Dei quieſceret, antiquus hoſtis immenſis vocibus magniſque clamoribus cœpit imitari rugitus leonum, balatus pecorum, ruditus aſinorum, ſibilos ſerpentium, porcorum grunnitus, ſtridores ſoricum. Tunc repente Dacius tot beſtiarum vocibus excitatus, ſurrexit vehementer iratus, & contra antiquum hoſtem magnis cœpit vocibus clamare, dicens: Bene tibi contigit miſer; tu ille es qui dixiſti: Ponam ſedem meam ad Aquilonem, & ero ſimilis Altiſſimo. Ecce per ſuperbiam tuam porcis & ſoricibus ſimilis factus es: & qui imitari Deum indigne voluiſti, ecce (vt dignus es) beſtias imitaris. Ad quam eius vocem (vt ita dicam) deiectionem ſuam malignus ſpiritus erubuit. An non erubuit, qui eandem domum ad exhibenda monſtra, quæ conſueuerat, vlterius non intrauit? Sicque poſtmodum fidelium habitaculum facta eſt: quia dum eam vnus veraciter fidelis ingreſſus eſt, ab ea protinus mendax ſpiritus atque infidelis abſceſſit.* hæc ſanctus Gregorius. atque de his hactenus; reliqua de Dacio inferius ſuis locis dicenda erunt.

IESV, CHRISTI
Annus 540.

VIGILII PAP. Annus I. IVSTINIANI IMP. 14. VITIGIS REG. 4.

I. QVI ſequitur annus Domini quadrageſimus ſupra quingenteſimum, aſcriptus Faſtis reperitur Conſulatu ſolius Iuſtini, cui addas collegam Paulinum, Iuniorem dictum, ad diſtinctionem alterius Paulini, qui ante ſex annos vna cum Iuſtiniano Imperatore Conſulatum geſſit. Ex Actis tertij Concilij Aurelianenſis Iuſtino Conſuli hunc collegam addimus Paulinum. Cum enim in fine eius Concilij notatum tempus habeatur, quo celebratum eſt, anno videlicet vigeſimo ſexto Childeberti Regis Francorum ſub Conſulatu Paulini Iunioris; hic ipſe annus Domini quadrageſimus ſupra quingenteſimum demonſtratur: ſecundum vero Aurelianenſe ſub anno vigeſimo ſecundo eiuſdem Regis notatum habetur: vt plane appareat perſpicua vndique veritas. Sic igitur, libera iam reddita à longa obſidione Vrbe, placuit Beliſario hoc afflictis reddere Senatoribus, vt more maiorum ſuum in Occidente crearent Conſulem, atque Paulinum eligerent, quem ſcirent ex progenitoribus Conſulibus procreatum. Porro idem annus à Procopio, qui per chronologiam belli Gothici numerat annos, ponitur quintus eiuſdem belli.

II. Quo anno Siluerius Papa in Inſula Palmaria relegatus, confectus ærumnis, conſumptuſque inedia, diem tandem clauſit extremum duodecimo Kalendas Iulij, ita martyrij corona ſublimis in cœlum cum martyribus collegis aſſumptus; cum etiam ab Eccleſia Catholica inſignitus nobilique Martyris titulo ſacro aſcriptus Albo perenni memoria perſeuerat dies natalis eius annis ſingulis celebrius. De loco autem martyrij inter Liberatum & Anaſtaſium ea diſcrepantia reperitur, quod ille in Palmaria inſula id accidiſſe ait, iſte vero in Pontia: ſed cum eædem ipſæ ſibi vicinæ ſint, haud poteſt diuerſitas iſta alicuius eſſe momenti, cum de altera in alteram transferri perfacile potuiſſet. Cæterum Liberatus diaconus cum ijs ipſis temporibus hæc ſcripſerit, firmiorem ſibi vendicat fidem.

III. SILVERIVS POST OBITVM MIRACVLIS CLARVS. Qui igitur martyrij coronam conſequi ſub Chriſtianis Principibus Siluerius meruit, à Deo etiam poſt migrationem eſt illuſtratus gratia miraculorum, teſtantibus quidem ſignis, viuere glorioſum in cœlo, quem vis tyrannica adeo compreſſiſſet in terris. nam audi Anaſtaſium paucis magna narrantem: *Sepultus eſt* (inquit) *in eodem loco 12. Kalend. Iulij* * *: ibique occurrit multitudo male habentium, & ſaluantur.* hæc de miraculis. Ita quidem & oſtenſione ſignorum voluit Deus vniuerſæ Eccleſiæ innoteſcere, qui germanus eſſet Romanæ Eccleſiæ Pontifex, & palam omnibus fieri in cœlum cum collegis martyribus Pontificibus eſſe receptum, quem furor hæreticorum, & ambitioſi hominis inſana cupido vſque ad interitum afflictaſſent. His vero Anaſtaſius ſubdit: *Hic fecit ordinationem vnam per menſem Decembris*, ordinauitque *presbyteros tredecim, diaconos quinque, Epiſcopos per diuerſa loca numero decem & nouem.* cum ſediſſet annos quatuor, & quintum inchoaſſet. Quod autem aliqui nec duos annos eius Sedi concedunt, inde id eueniſſe liquet, quod abſurde admodum numerent eius ſedis tempus vſque ad Vigilij intruſionem tantum, cum ipſe Siluerius è ſede expulſus eſt: at verò vſque ad conſummatum martyrium ſemper ipſum legitimum perſeueraſſe Pontificem, & Pontificia, vt licuit, exercuiſſe liquet; Vigilium autem contra verum Dei ſacerdotem ſedentem nullum meruiſſe Pontificis titulum conſtat. Subdit vero hæc Anaſtaſius: *Ceſſauit Epiſcopatus eius dies ſex.* hucuſque ipſe.

* Iunij

IV. VIGILII PRVDENS CONSILIVM SE ABDICANDI. Sunt plane eius illa vltima verba penſanda: *Ceſſauit Epiſcopatus eius dies ſex.* Quibus perſpicue intelligas, quem vſurpaſſe & malis artibus nactum eſſe, immo & inuaſiſſe diximus viuentis Siluerij ſedem, & excommunicatum licet, factione tamen hæreticorum munitum vſque ad eiuſdem Siluerij obitum tenuiſſe; hunc ipſum tamen, ſimul ac Siluerium defunctum atque miracula edere audiuit, minime diutius ſedere perſeueraſſe, ſeque ipſum in ordinem redegiſſe, probe ſcientem minime ſe legitimum fore dicendum Pontificem, quem tot crimina deturpaſſent; cum præter Simoniacam labem, redarguerent ipſum conniuentia cum hæreticis, pactis conuentis conſcripta iurataque ipſorum defenſio & Anthimi reſtitutio, Siluerij inſuper prædeceſſoris expulſio, eiuſdemque necis cooperatio, atque demum quod poſt damnationẽ & anathema in ipſum à Siluerio irrogatum, sediſſet nihilominus tanquam verus in Eccleſia Pontifex. Hæc, inquam, ipſe conſiderans, poſt Siluerij obitum à ſede male occupata deſcendit, fretus tamen potentia Beliſarij, quod eſſet eam mox iterum conſcenſurus: locumque ſic præbẽs ſacris habendis comitijs cõquieuit. Ita quidẽ ſe à Pontificatu abdicaſſe Vigilium, ex ſpatio vacationis ſedis Siluerij dicendũ omnino eſt: nam quomodo potuit ſecundũ Anaſtaſium ſedes vacaſſe ſex dies, ſi Vigilius, ipſo viuente Siluerio, intruſus ſemel, ſedere poſt eius obitũ perſeueraſſet: neutiquam enim id aliquo modo potuit accidiſſe.

V. ASTVTE REM AGIT VIGILIVS. Verum, quod ipſe id fecerit tanquam repræſentaturus in ſcena comœdiam, non ex animo, ſed vt quoquo modo eliceret de ſua electione cleri Romani conſenſum: inde mihi facile perſuadeo, dum non (vt par erat) pœnitens ſcelerum patratorum, omnem penitus conceptam de ſede Pontificia adipiſcenda ſpem abiecit, ſeque ea prorſus iudicauit indignum, reliquumque vitæ tempus (vt ab eo exigebant grauiſſima criminum pondera) in lacrymis ſibi tranſigendum indixit; ſed contra ſummi honoris prurigine exagitatus, vt eum conſequi tuto poſſet, nec vnquam inde elici ob perpetrata delicta, huiuſmodi ſibi vafer viam aperiendam curauit: cum præſertim ſecurus de Beliſarij voluntate, cuius ſtudijs ex Theodoræ Auguſtæ mandatis foret totius cleri extorquendus aſſenſus,